

**Disputatio medica inauguralis, de apoplexia ... / eruditorum examini subjicit
Fredericus Leighton.**

Contributors

Leighton, Frederic Septimus, 1800-1892.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Jac. Ballantyne et socii, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b5gkfr6v>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

*Theses
Tom - 1*

**DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE APOPLEXIA.**

Dr James Woodford
with the Authors Compliments

(1.) *Tracts, 1671.*

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE APOPLEXIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,


RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FREDERICUS LEIGHTON,

Anglus,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.



Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXXV.

74

АСИЕМ ОТАРЫЧА

ЖАЛАРДЫЛЫ

ДЕЗЕЛДОЧА ЗА

МАНДЫК

Также синектика и
другие виды изображения

и в аякшы покоре

и изображение языка.

Гравюра

Большое значение имеет в изображении

изображение языка

и изображение языка в изображении

изображения языка в изображении

изображения языка

Гравюра

Гравюра


изображение языка

Гравюра

Гравюра

изображение языка

Гравюра



VIRO SPECTATISSIMO
FREDERICO AB HEIROTH, M.C.D.
EQUITI;
CONSILIARIO STATUS ACTUALI;
AUGUSTISSIMI TOTIUS RUSSIAE IMPERATORIS
ARCHIATRO;
IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA PETROPOLITANA
CLINICI THERAPEUTICI PROFESSORI ORDINARIO;
HOCCE TENTAMEN
SUMMÆ OBSERVANTIÆ
TESTIMONIUM PEREXIGUUM
OFFERT ET DICAT
DISCIPULUS QUONDAM
AUCTOR.

VIRO SPECTATISSIMO,
ELIÆ AB ENEHOLM, M.C.D.
EQUITI;
E CONSILIIS STATUS;
IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA PETROPOLITANA
INSPECTORI ALUMNORUM;
HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,
OB PRÆCEPTORIS CONSILIA ET AMICI BENEFICIA
NUNQUAM OBLIVISCENDA,
SACRAS VULT
ALUMNUS QUONDAM
AUCTOR.

СЕКРЕТЫ
ПОДЪИМЛЕНИЯ
СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪИМЛЕНИЯ СВОБОДЫ

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

HISTORIA MORBI.

APOPLEXIAM dicimus morbum qui perfectam vitæ animalis suppressionem complectitur, superstite tamen vitâ organicâ. Dum enim functiones omnes a vitâ organicâ pendentes, sanguinis scilicet circuitus, respiratio, secretiones, iisque motus intestini (contractilitas organica) vel ad normam perficiuntur, vel indirecto quasi modo læduntur ; functiones contra animales, sensus omnes motusque voluntarii, penitus silent perinde ac si æger alto somno sopitus fuerit.

Apoplexia plerumque sine prodromis hominem subito corripit ; præsertim si vi aliquâ ex-

A

trinsecūs infertur. Ubi vero a valetudine adversâ nascitur prægredi solent symptomata sequentia, quibus opportune occurrendo ipsum morbi insultum nonnunquam arceamus :—Capitis dolor, temulentia, vertigo, incubus, somnus tumultuosus somniis terrificis interpellatus, vultus inflatus atque sanguine suffusus, scintillæ ob oculos versantes, tinnitus aurium, loquela impedita et blæsa ; memoria labitur, sentiendi facultas imminuitur ; ad hæc nonnunquam sanguinis cursus e naribus, qui subinde levamen aliquid affert.

Ipsius accessionis, Abercrombius tres varietates seu formas notavit.*

In varietate primâ, æger quasi fulminis ictu percussus, derepente corruit, atque, sensu motuque orbatus, alto somno dormientem refert. Vultus ei inflatus et rubicundus, spiritus stertoribus impeditur, arteriarum pulsus pleni nonnunquam solito tardiores ; in exemplis nonnullis, nervi distenduntur. Is status vel in mortem,

* Edinburgh Med. and Surg. Journal, vol. XIV. p. 554.

vel in paralysin unius lateris, vel demum in pristinam sanitatem, desinit.

In varietate secundâ, morbi impetus a capitâ dolore vehementi inopinato incipit; ægrotans pallescit, languore, nauseâ, plerumque vomitu, afficitur: interdum quasi animo delictus concidit, dum facies pallida, pulsus exiles fiunt, atque nervi aliquando leviter distenduntur. Interdum non collabitur, atque dolorem capitâ oblivium leve et fugax comitatur. In utroque casu, æger brevi resipiscit, ita ut pedibus ire potest; capitâ tamen dolorem peracutum adhuc queritur. Post nonnullas horas, morbo denuo opprimitur, memoria labitur, cogitationes ejus atque sermones nexu rationali carent; sopor demum paulatim obrepit ex quo nunquam expergiscitur.

In varietate tertîâ, homo hemiplegiâ ex improviso affligitur, atque loquendi facultate orbatur; stupor autem deest, vel, si adsit, brevi transit; æger sui conscius esse videtur, et quid sentit, signis patefacere studet. Exitus hujus statûs varius est. Modo in apoplexiâ abiit,

modo in sanitatem, præsertim si idoneis remediis tractatus fuerit. Aliquando ita convalescit, ut neque distincte loqui, neque pedibus ire sine molestiâ, queat. Fieri potest ut in hoc statu per annos nonnullos vitam protrahat, donec eodem vel alio morbo tollitur.

Præter hæc insultus apoplectici indicia, alia sunt signa, quæ durante paroxysmo medici attentionem sibi vindicant. Pulsus ab initio rari sunt, regulares, pleni, aliquando duri ; progrediente vero morbo, concitantur, inordinati fiunt, et intermittuntur : respiratio difficilis, ineunte paroxysmo, tarda, regularis, fere cum stertore et singultu : plerumque os apertum spumâ cingitur : oculi prominent, sanguine suffunduntur—obtutu defixo et truci, nonnunquam fracti et quasi vitrei apparent : pupilla plerumque dilatata, nonnunquam vero valde coarctata, sicut Aretæus inter antiquos, inter recentiores, Cooke, Cheyne, Mason Good, notaverunt : facies et summa cutis sudoribus viscosis et frigidis madet. A quibusdam auctoribus, Boerhaavio, Van Swieten, atque aliis, Febris inter symptomata recensetur,

rariſſime autem paroxysmum comitatur: De-glutitio ſæpe eouſque impeditur, ut fluida in os injecta per nares rejiciuntur.

Paroxysmus vel per brevissimum tempus vel per aliquot nycthemera moratur; plerumque in alterutrius lateris resolutionem desinit.

DE MORBI VARIETATIBUS.

PROXIMUM est ut de hujus morbi varietati-bus aliquid dicam.

Celeberrimus Cullen novem species discernit, quarum vero duas tantummodo adducam, quæ ab aliis auctoribus, iisque haud parvi nominis, a Bur-serio, ex. gr. Boerhaavio, Hoffmann, agnoscuntur.

“ Apoplexia serosa, in corpore plerumque se-num leucophlegmatico.”

“ Apoplexia sanguinea, cum signis plethoræ universalis atque præcipue capitis.”

Qui vero hoc apoplexiæ discriminem fecerunt, arbitrati sunt, serosam oriri a sero in cerebrum effuso, eamque aliam medendi rationem poscere;

perperam autem, nam, sicuti Stoll* in prælectionibus clinicis haud inepte dicit, “ In sectionibus hominum apoplexia mortuorum, sæpe dubites an serum effusum causa vel effectus apoplexiæ fuerit;”—idemque Sauvagesius.† “ Ex eo, quod in cadavere sinus cerebri aqua turgidi reperiuntur, non sequitur, apoplexiā ab illo sero fuisse inductum.” Præterea, si Portalio fides habenda sit, in hominibus hoc morbo interemptis nulla seri effusio in cerebro reperta est ; membranæ vero atque plexus choroidei sanguine turgentibus visi sunt, quamvis signa species serosæ mortem præcesserant.‡ Idem Portalius apoplexiâ serosâ laborantes venam secando feliciter curavit.

Si quis ergo hæc omnia rite perpenderit Abercrombii sententiæ§ facile assentietur, apoplexiæ nempe discriminem in sanguineam atque serosam, neque experienciâ neque observatione niti.—“ The distinction betwixt the symptoms of

* Stoll Prælect. p. 367.

† Nosol. Method. Ed. Lipsiæ, p. 483.

‡ Memoire sur l' Apoplexie, p. 347.

§ Edinburgh Med. and Surg. Journal, p. 584.

sanguineous and serous apoplexy has no foundation in experience or observation."—Recentiores igitur auctores, vel saltem quorum scripta mihi vide contigit, hanc divisionem haud comprobant.

Haasius,* auctor Germanicus, divisionem aliam atque fortasse magis congruam, proposuit; nempe, in sanguineam et nervosam : satis enim constat, nonnullas hujus morbi causas, venena ex. gr., affectus animi contrastantes, genus nervosum potissimum afficere. Apoplexia nervosa symptomata sequentia complectitur : Deest imprimis impetus sanguinis ad caput, vultus enim pallidus et collapsus ; totum corpus friget ; turgor vitalis evanescit ; arteriarum pulsus exiles, inordinati ; stertor deest.

CADAVERIS SECTIO.

INCISO cadavere, nulla subinde morbi vestigia

* Haase über die Erkentniss und Cur der chron. Krankheiten. 2ten Band. p. 431.

deprehenduntur; plerumque vero vel cerebri vel aliorum viscerum vitia.

Ossa cranii nonnunquam a se invicem discessisse, fertur. Aliquando, statim ac ossa serrâ scinduntur, sanguis copiose profluit. Vasa cerebri plerumque sanguine turgescunt, effuso fere cruento vel sero, aut inter membranas, aut in ventriculos, vel in alias partes. In ipsius cerebri massâ, abscessus, steatomata, schirrhi, atque varii generis tumores, nonnunquam conspicuntur; neque desunt exempla exostosis calvariae, nec membranæ vel vasis alicujus in os conversæ.

Interdum, cerebro integro, aliarum partium vitia deteguntur; qualia sunt cordis vitia, valvulae cordis in os conversæ, dilatatio cordis, arcus aortæ aneurysma; in abdomine, viscerum intumescentiae; ex. gr. hepar tumidum. Morgagnio videre contigit renes tumidos, aortam abdominalē comprimentes.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

HUIC morbo obnoxiores sunt, qui corporis constitutione sanguineâ vigent; quorum caput magnum, collum breve, facies rubicunda, et, ut nonnulli credunt, qui proclivitatem ad hanc ægritudinem a parentibus acceperunt. Proclivitatem præbent omnia quæ corpus nimis implent; qualia sunt victus plenus ex carnibus præcipue, epulæ nimis lautæ, potiones meraciores, vita desidiosa, inertia diurna, exinanitiones quibus corpus diu assuevit subito suppressæ. Feminæ quam mares morbo minus patent, ob hanc causam fortasse, quod cujuslibet generis intemperantiæ minus indulgent. Huc pertinent alia, quæ cerebrum afficiunt, atque adeo infirmant, ut morbo opportunius fit; ejus rei exempla sint, animi intentiones graviores, nimium litterarum studium, lucubrationes ad multam noctem protractæ, animi perturbationes, aliaque multa. His annumerare licet, varia vitia in cerebro detegenda,

exostosis, ex. gr. tumores, etc. quæ paulatim atque lentius formantur, et, sicuti Doctor Cooke * jure opinatur, ad has remotiores causas potius referendæ sunt, quam ad eas quæ morbum excitant.

CAUSÆ EXCITANTES.

HUNC morbum movent omnia quæ cerebrum comprimunt, vel quovis alio modo actionem ejus impediunt.

Causæ vero compressionis (prætermisis quæ ex casu externo apoplexiæ traumaticum inducunt) sunt eæ omnes, quæ sanguinis ad cerebrum affluentis impetum augent, vel ei refluenti obstant, quarum aliæ alterutro, aliæ utroque modo agunt. Tales sunt :—

Graves animi perturbationes, et præ omnibus, ira, id quod Dr Cooke,† plurimis exemplis e variis auctoribus depromptis, satis confirmavit.

* Cooke on Nervous Disorders, vol. I. p. 207.

† Idem liber, p. 212.

Litterarum studium, vel quævis animi contentiones, cuius rei, Van Swieten his verbis rationem reddit :—“ Senserunt omnes, qui severis studiis animum adhibuerunt, gravari caput, et molestam tensionem in encephalo sentiri, dum nimis diu protrahuntur illi labores ; unde, si jam plenitudo vasorum præcesserit, satis patet omnia hæc adhuc augeri debere.”*

Exercitatio nimia, quæ, cum sanguinis circuitum concitet atque humores igitur majore impetu caput versus propellat, apoplexiam facile gignit, si quidem homo a causis remotioribus prægressis proclivior factus est ad morbum.

Ciborum atque potuum abusus, cuius rei exempla Portalius plura retulit.† Fothergill arbitratur, ventriculum distentum aortam comprimere, quo fit ut arteriæ cerebri solito magis implentur ; perperam autem, ventriculus enim distentus sedem suam mutat atque arcu majore antrorum prominet, ita ut facies ejus posterior

* Van Swieten, in Boërhaav. de Apop. Aphor. 1010.

† Observations sur l'Ap. p. 32.

ab aortâ dimoveatur. Verisimilior autem Portalii sententia; ventriculum scilicet distentum diaphragma sursum trudere, atque splenem et hepar comprimere, adeo ut, ramis cœliacis coactatis, sanguis superiora versus dirigitur.

Potiones ardentes, quæ sanguinem ad caput affluere faciunt, hunc morbum aliquando movent. Ipsa ebrietas ab insultu apoplectico prope abest, ita ut a Sauvagesio inter hujus morbi species collocata est, atque apoplexia temulenta vocata. Ipsam vero ebrietatem in apoplexiā veram nonnunquam desiisse satis constat, sive humores effusi, sive vasa sanguine turgentia, cerebrum compresserint. Doctor Cooke* exemplum citat apoplexiæ ebrietatem excipientis, ubi, calvariâ patefactâ, nulla visa est sanguinis effusio neque vasa rupta, et vasa cerebri posteriora solum, sanguine distenta fuerunt.

Simili ratione, nitus vehementes, calor nimius, solis ictus, aliaque similia, morbum nonnunquam excitaverunt.

* Nerv. Dis. 219.

Inclinatio capitis, quâ sanguinis reditus multum retardatur; sanguis vero arteriosus suo nutu descendens cerebrum obruit. Ligaturæ circa collum nimis arctæ venas plus quam arterias comprimentes, venarum contortio e capitis circumgyratione, vel quidvis sanguinis cursum per venas cohibeat. Suspendium, procul dubio, apoplexiam simili ratione nonnunquam excitare potest, sicuti Portalius docere conatus est; sëpissime vero, ut ex Monronis experimentis patet, spiritu intercluso, homines enecat.

Ad hæc, morbi cordis, dilatatio exempli gratiâ, valvulæ in os conversæ, varii morbi pulmonum, qui, vel comprimendo, vel spiritum intercludendo, sanguinis cursum per venas impedian.

Aliæ causæ, vim nervosam sedando, potius quam cerebrum comprimendo, agere videntur; sicuti varia venena, opium, alcohol, vapores noxii, metallorum fumi, in pulmones admissi, frigus fortasse, affectus animi contristantes, veluti mæstitia; de quarum agendi ratione scriptores alii alias ineunt sententias, quippe quas alii strangulando nocere credunt, alii cordis ac-

tionem impediendo, alii cerebri functiones afficiendo.

Ex experimentis a clarissimo Brodie institutis,* fas est concludere, pluria venena, sive intus assumpta, sive vulneribus extrinsecus admota fuerint, ea ratione mortem inferre, ut functiones cerebri delent. Alcoholis puri drachmis septem in cuniculi ventriculum injectis, illud animal, brevi tempore, motūs atque sensūs expers jacuit. Accesserunt indicia apoplexiæ, pupillarum dilatatio, leves nervorum distensiones, spiritus gravis stertore interceptus. Talibus experimentis cum eodem eventu saepe iteratis, Brodie hanc sententiam profert :—“ There is a striking analogy arising from spirits taken internally, and those produced by injuries of the brain.” Simili ratione, alia venena, veluti oleum tabaci, succus acconiti, materia woorara dicta, cerebrum afficere videntur. Neminem latet, ischuriam renalem in statum apoplexiæ haud absimilem, vel potius in ipsam apoplexiām, desi-

* Lond. Phil. Trans. p. 180.

nere; urina enim absorpta atque cum sanguine mixta haud secus ac venenum verum atque lethale in genus nervosum agit, et sic vitam extinguit. Inter causas sedantes frigus fortasse recensere liceat; quamvis Portalius monstrare conatus est, frigus potius altum somnum, ideoque sanguinis in cerebro congestionem arcessere, atque ea ratione hunc morbum inducere. De hac re multum adhuc quæritur.

Hæc omnia mihi probare videntur, apoplexiā haud semper oriri, vel ex compressione, vel ex turbato sanguinis circuitu; sed aliud esse causarum genus, quæ genus nervosum primario afficiant, ita ut, ipsas vitæ animalis fontes invadendo, functiones ejus vel ad tempus suppri-
mant vel omnino tollant.

Adhuc notandum est, aliarum partium consensum atque nexum illum parum intellectum, qui inter alios morbos atque apoplexiā intercedit, hanc haud raro excitare.

CAUSA PROXIMA.

Si apoplexia jure definiatur, morbus in quo functiones vitæ animalis, sensus scilicet motusque voluntarii, plus minusve supprimuntur, nemo inficiabitur, causam morbi proximam quærendam esse, in genere nervoso cerebro-spinali ex quo pendent. Sic fere sentit Hecker, qui causam proximam statuit esse statum quendam morbosum sed ignotum cerebri. “Ein unbekannter Zustand des Gehirns den man eine *lähmung* desselben nennen könnte.”* Qualis vero sit ea cerebri conditio morbosa, nemo adhuc ostendit, nec unquam, mehercule, quisque ostendet, donec conditio ejus sana, atque mutationes quæ sensus motusque proxime atque efficienter antecedunt, melius intelliguntur. Haud enim intelligo quid sit causa proxima cuiusvis functionis læsæ, nisi sit aberratio a causâ proximâ functionis sanæ,

* Kunst die Krankheiten des Menschen zu heilen, 2n Bn. p. 308.

id est, ab iis mutationibus, qualescunque sint, quæ functionem illam sanam atque normalem efficiunt. Hac igitur causa ignotâ, alteram illam ignoremus necesse est.

Burserius tamen, inter alios, rem adeo occlusam patefacere conatus est, atque affirmat, eam “in ablato consistere commercio inter corticem cerebri ejusque medullam, aut inter medullam et reliquas corporis partes sensui saltem et motui voluntario dicatas, intercedit.”* Alii, in fluido sic dicto nervoso vel intercluso vel deficiente, alii aliis in rebus consistere crediderunt; qui omnes causam morbi continentem in cerebro jure quæsiverunt; cum vero abditam et mirabilem generis nervosi naturam haud intellexissent, ad res fictas potius quam factas, ad commenta potius quam vera, confugisse videntur.

Ex supradictis, siquidem veritati consentanea sint, luculenter patet quam sit falsa eorum sententia, qui morbum ex compressione proxime

* Institutiones Medicinæ Pract. vol. tertium, § lxxvii.

oriri credunt. Eam vero nequàquam esse causam proximam ex eo efficitur, quod neque necessario neque semper efficienter morbum antecedit. Pleraque enim exempla ab auctoribus narrantur, ubi nulla compressionis vestigia post mortem deprehendi potuerunt, atque compluria ubi morbus ex aliis causis, venenis ex. gr. oriri videbatur. Compressio ergo haud necessaria est. Contra autem compressio sine morbo subsequente adesse potest; id quod scriptor Gallicus, Serres, multis experimentis in avibus, cuniculis, atque aliis animalibus, institutis, extra dubitationem probavit. In nonnullis præterea hominibus sanguinis effusio post mortem reperta est, nullis apoplexiæ signis prægressis; ex quo liquet, compressionem hunc morbum haud semper efficere.

Respondeat fortasse aliquis, posse eam esse causam proximam, quamvis non semper adsit; eoque majore fiduciâ, quod H. C. Parry, homo sane maximæ auctoritatis, negavit causam proximam definiendam esse eam sine quâ morbus esse non potest, et quæ, si adsit, morbum necessario facit.

Huic vero sui ipsius verbis respondebo. “The uniform and *inconvertible* succession of like phenomena, constitutes what is called cause and effect.”* Hæc vero definitio cum alterâ supra citatâ, *re si non verbis*, ad amussim congruit. Tribus nihilominus argumentis huic definitioni refragatur, quorum vero primum ambiguâ notione vocis, “*morbus*,” niti videtur; alia vero arguento primo, quasi fundamento, nituntur, hoc vero labefactato, ipsa labuntur. Hæc argumenta uberius exponere atque refellere non hic est locus, præsertim cum in re tam obscurâ tantam operam, cui fortasse impar videar, suspicere nolim.

Quamvis autem compressio non sit causa proxima, tamen haud minorem medici attentionem sibi vindicat; plerumque enim cum morbo arctissime connectitur, atque deficiente verâ causæ proximæ notitiâ, saepius ad præsentissimam medendi rationem medicum perducat.

* Parry’s Elements of Path. and Therap. aph. vi.

Quod cum concedam, de verbis fortasse potius quam de re, disputâsse videar, vix credo, tamen et hoc concessso, his Baconis verbis respondeo : “ Credunt homines rationem suam verbis imperare, sed fit etiam ut verba vim suam super rationem retorqueant.”*

PROGNOSIS.

APOPLEXIA vera atque exquisita metu semper terret, utpote quæ plerumque ægrum interimit. Medicus vero morbi exitum prædicturus, ætatem imprimis atque corporis constitutionem respiciat. Quo provectione enim ætas, quo infirmior valetudo, quo magis ægrotans cibo, potui, vel cuiusvis generis intemperantiae indulserit, eo fere magis exitus lethalis extimescendus. Contra vero, si apoplecticus ætate atque viribus vigeat, spes aliqua superest. Ipsa vero symptomata metu terrent vel spe consolantur, prout graviora sint aut leviora. Pessimum ergo est si

* Nov. Org. lib. i. aph. lix.

pupilla dilatata, admotâ luce, omnino non contrahitur; si cutis sudoribus gelidis diffuit, atque æger sensus motusque omnis penitus expers jacet: spiritus vero stertore interceptus, pupilla coarctata, pulsus vix percipiendus, mortem subesse fere testantur. Ubi vero spiritus liberius trahitur atque emititur, neque pupilla, neque musculi deglutitioni inservientes, nec alii, spasmo afficiuntur, ubi exhalatio per cutem facilis est, atque ipsa cutis calet potius quam ardet, spes bona est. Sanguis etiam ex naribus aut ex vasis hemorrhoidalibus sponte profluens signum est faustum.

DIAGNOSIS.

QUOAD discriminem inter hunc atque alios morbos, scire licet, eum cum ebrietate, asphyxiâ, syncope, epilepsiâ, commutari posse; inter quos quid intersit paucis verbis ostendere conabor.

Ebrietas etiamsi medicum fefellerit, talis hallucinatio tamen homini parum noceret, cum

ebrietas in apoplexiā sāpe transeat, atque eadem ei medela haud aliena sit. Hanc vero ex rerum notitiā quāe soporem præcesserunt, et ex spiritu liquorem vinosum olente, dignoscimus. Sauvagesius hæc verba habet:—“ Nisi per adstantium relatum, vel per vinum vomitione rejectum, aut odorem vinosum anhelitūs, species morbi patet, illa pro sanguineā reputetur, magno artis scandalo.”* Ad hæc, pupilla luce contrahitur, atque ebrius dolorem quemvis percipit, partem enim vellicatam aut acu punctatam movet, quamvis penitus excitari nequeat.

Ab animi defectione et asphyxiā eo discrepat hic morbus, quod in hoc arteriarum pulsus plerumque solito fortiores, atque spiritus cum sono fertur; in illis vero, pulsus atque spirationes vel ægre percipiendæ, vel omnino extinguntur.

Ab epilepsiā his notis dignoscitur. In utroque morbo cerebri functiones læduntur. In epilepsiā vero genus nervosum, irritatum potius

* Nos. vol. I. p. 847.

quam sopitum, musculos omnes voluntarias ad contractiones validiores excitat. Totum corpus ergo convellitur, vultus horrifice torquetur, sterlus, lotium, atque semen virile, musculis detrusoribus incitatis, vi quadam projiciuntur; si denique certiores facti sumus auram accessionem antecessisse, res extra omnis dubitationis aleam posita est. In apoplexiâ vero, sopitis quasi cerebro ejusque nervis, musculi omnes voluntarii solvuntur, vel si leves nervorum distensiones ad sint unum solummodo latus corripiunt. Excernenda denique, sphincteribus solutis, sponte elabuntur.

Hysteriam quoque, quæ nulos non mentitur morbos, apoplexiæ similitudinem nonnunquam præ se tulisse, fertur. Hîc fortasse alia signa hysteriæ vel præsentia vel prægressa veram ejus naturam ostendent. M. Hall, in libro suo de Diagnosi,* dua ejusmodi exempla commemora-vit.

* Hall on Diagnosis, p. 134.

RATIO MEDENDI.

IN hoc morbo medicina triplex est—primum, ut accessionem, ubi instat, arceamus; deinde, ut, ubi urget, curtemus; denique, quando æger convaluit, efficiamus ut ne redeat.

Quamprimum ergo, dolor capitis, vertigines, tinnitus aurium, vultus inflatus, aliaque signa, accessionem instare monent, sanguinis detractione, remediis purgantibus, cæterisque quæ corpus attenuant, morbo occurramus oportet. In senibus vero atque infirmis, quorum pulsus parvi atque debiles sunt, eadem remedia caute adhibenda, sanguis per cucurbitulas potius quam incisâ venâ detrahendus. Quinetiam solis purgationibus nonnunquam contenti simus necesse est. Quod si vero capitis dolor obtusus, stupor, aliaque symptomata, pressuram cerebri clare indicant, tunc in his, haud secus ac in hominibus validis atque robustis, ad venæsectionem confugiendum est.

In ipsa morbi accessione, primum curare debe-

mus ut apoplecticus in conclavi lucido, spatiose, perflatum liberum habente collocetur, corporis trunco supra lectum paululum erecto, atque laxatis circa collum, pectus, ventrem, aliasve partes, vestimentis atque ligaturis. Postea humores, copia vel impetu cerebrum opprimentes, a capite derivandi sunt ; morbus enim saepissime exinde oritur. Ad hoc consilium remedia sequentia optime valent.

Missio sanguinis ex brachio aut ex venis jugularibus, vel etiam ex arteriis temporum, praesertim si ægrotans florente sit ætate, viribus integris, et sanguine plenus. Quantitatem vero sanguinis detrahendi ex ratione virium, ætatis, pulsus magnitudinis, sanguinis impetus, faciei ruboris, æstimare oportebit. Cum congestio sanguinis plerumque post mortem in latere corporis sano inveniatur, Cullen auctor est, ut si alterutrum latus morbo magis afficitur, sanguis a latere integro detrahatur ; alii ex latere affecto suadent ; res sane haud magni momenti. Quamvis hoc remedium a plerisque medicis omnium præstantissimum habeatur, non desunt tamen, iique spectatissimi auctores, qui

vel omnino id improbant, vel saltem remedium anceps caute adhibendum esse monent. Quam talium virorum sententiam quamvis a veritate abhorreat, memoriâ tamen tenuisse nonnunquam juvabit, atque prudens medicus, delectu semper habito, anceps nonnunquam hærebit, an in senibus infirmis et effœtis venam incidat, in quibus, si Heberdenis verbis uti liceat, “ vires nutriendæ sunt et excitandæ potius quam minuendæ, dum multa sanguinis profusio omnes naturæ conatus reprimit, et tenues vitæ reliquias penitus extinguit.” *

Alvi purgatio: quæ dupli ratione morbo subvenire videtur, humores imprimis a capite ad intestina evocando, deinde materiam corpori demendo. Quamprimum ergo facultas devorandi rediit, æger assumat purgantia validiora, ex. gratia, submuriæ hydrargyri cum radice convolvuli jalappæ aut gummi resinâ conv. scammonii. Interea immittantur a parte inferiore enemata acria quæ alvum subducunt.

Nonnulli crediderunt vomitoria præsidio esse;

* Heberden. Commentarii, p. 300.

nihil vero pejus. Nisu enim vomitionis, sanguis majore impetu ad caput fertur, atque ideo verendum est, ne, vasis disruptis, sanguis in cerebrum effundatur: vix ergo præcipienda, nisi ubi morbus ex crapulâ et ventriculo nimis distento manifeste orsus sit.

Fomenta ex aquâ frigidâ, aut aceto, vel glacie contusâ, haud parum levaminis afferunt; vesicatoria vero pedibus vel capiti admota fortasse inutilia sunt, et nimis irritant.

Si morbus homines infirmos valetudinis conquassatae corripit, ea omnia caute adhibenda sunt, quamvis et in his, cum plerumque cerebrum comprimatur, a sanguine mittendo vix temperare possumus. Hic enim, ut ait Doctor Good,* haud secus ac in typho congestivo, sanguinem mittere debemus,—malum quidem, sed, ne gravius urgeat, non fugiendum. In talibus exemplis, cucurbitulæ, venæsectioni non nunquam, hirudinibus semper, anteponendæ.

* Study of Medicine, vol. III. p. 617.

In his quoque remedia stimulantia et exulcerantia adhibere licet.

Ubi alcohol immodice sumptus, narcotica, aut alia venena, morbum excitaverunt, oportet ea, per sulphas cupri ex ventriculo emoliri, atque ægrum omni modo excitare, donec effectus eorum cessaverint.

Tertium est consilium, ut ne morbus redeat. Optime hoc absolvitur omnibus partibus medelæ qua corpus extenuatur, i. e. methodo dictâ antiphlogisticâ; æger victu tenui ex frugibus utatur; a potu meraciōri, ab epulis lautis, a concubitu nimio, sibi temperet, et, ne plura, omnes causas excitantes qualescumque fuerint sedulo evitet. Si vero æger imbecillus atque effœtus sit, victu pleniori atque facili concoctu fruatur, atque ea assumat quæ corpus roborant, non vero accendunt.

FINIS.